

AB

170022



00  
leg



374  
p





## Cicero i. Officiorum.

*Cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum auemus  
aliquid videre, audire, discere; cognitionemque rerum aut occulta-  
rum, aut admirabilium ad bene beatique viuendum necessariam  
ducimus.*

## Idem 3. Quæst. Tusc.

*Optimus & grauiſſimus quisque conſitetur ſe multa ignorare,  
& multa ſibi etiam atque etiam eſſe diſcenda.*

CLA-





CLARISSIMO GENERO-  
SISSIMO QVE HEROI MARCO  
CLAUDIO à RYA, MARCHIONI OLIA-  
nis, Baroni Dicæo, Praefectoq; Vesunctionis & Do-  
la Janus Iacobus Bois-  
SARDVS.

A R A T V R V S tibi munusculum, quod of-  
ficij, & obseruantia erga te meæ mnemo-  
synon aliquod ad posteritatem produce-  
ret, nō potui. Heros clarissime, ex meo mu-  
sæo conuenientius quicquā feligere, quam  
ipsas Musas; per quas olim tibi innotui, fa-  
uoremq; illustrium tuorum Parentum vi-  
sus sum promereri, dum tibi puero Præce-  
ptor, & morum formator electus sum. In qua vacatione D E V S  
meos labores ita promouit, & ex vtriusque voto prouexit, vt me  
ex eo tempore singulari benevolentia prosecutus sis, omnem na-  
uans operam, quò me numero tuorum familiarium adscriptum  
in tua domo retineres: Cumq; temporum iniuria, contra ani-  
mi mei voluntatem, inuitisque tuis Parentibus, ad Mediomatri-  
cos migrare cogerer, non desisti absentem grato affectu prose-  
qui, redditumque in patriam multis promissis solicitare: potuiss-  
semque tua præsentia beatus videri, nisi me fata alio auocassent,  
ad institutionem illustrium Baronum à Vienna, in quorum do-  
mo consenui, absoluturus Metis id quod mihi vitæ superest, eā  
tranquillitate & pace, quam mihi concedet cœli benignitas, &  
Diuina prouidentia. Habeo igitur quod Deo optimo maximo  
gratias agam immortales, qui me tantis cumulauerit beneficiis:  
deinde tuæ integrati, & candori, quòd mei memoriam tam diu  
sarcinam tectam conseruaueris, datus omnem operam ne quid  
in posterum requiri, aut desiderari possit in meo officio, cur in-  
gratus erga te iudicari queam.

★ 2

Atcūm

## E P I S T O L A

Atcūm Parnassi Deos præsides depictedos haberem, ad imitationem antiquarum statuarū, & iconum, quæ tam Romæ, quām in aliis Principum, & literatorum hominum Italiæ bibliothecis ostenduntur, existimauit nō abs re futurum, si eorum effigies, qua fieri posset diligentia, & artificio ab archetypis exceptas, in ordinem disponerem, ac distichis Latinis illustrarem; tibique Musarum, & Apollinis amico: literatorumque benefico fautori dedicarem: ratus hoc opusculum tibi non displiciturum, tam propter delectationem, quam in se continet, quām propterauctoris animum tuo nomini perpetua obseruātia deuinctum ac deuotum.

In harum imaginum delineatione secutus sum eum ordinem, qui à maiore antiquorum parte, & ab omnibus recentioribus receptus est: non tamen nescius, apud graues Auctores Musarum nomina, & numerum diuersum constitui. Epicharmus in nuptiis Hebes septem enumerat, Pieri & Pimpleidos Nymphæ filias: Nilum, Tritonem, Asopum, Heptapolin, Acheloida, Tipoplum, & Rhodiam. Aratus quatuor facit Iouis filij Ætheris, & Plufiæ Nymphæ filias: quarum hæc recitat nomina Arche, Melote, Thelxinoe, & Aoide. Zetzes tres tantùm statuit Cephison, Apolloida, & Boristhenida. Alij nouem enumerant, Ioue tertio, & Mnemosyne genitas: quæ sunt hæ (vt Vergilius, & fere omnes Poëtæ Græci & Latini tradunt) Clio, Melpomene, Thalia, Euterpe, Terpsichore, Erato, Calliope, Vrania, & Polyhymnia. Harum nomina, & imagines hoc libro expressimus: Licet easdem alijs ve-  
*Musarum  
nomina &  
numerus.* lint habere Parentes Iouem Pierium, & Antiopam: & à Patre Pieridas, & Pierias fuisse appellatas. Quidam non à Piero Ioue, sed à Pieria regione Macedoniæ, quæ est inter Axium & Haliacmonem fluuios, vbi illas Mnemosyne (quæ Memoria interpretatur) peperit, cognomē hoc fuisse sortitas asserunt. Mnemosyne Musarum mater vocata est, non sine ratione: quia Memoriae beneficio omnes scientiæ, & artes liberaliores adquiruntur, & conseruantur. Neque sine causa Poëtæ voluerūt illas habere Iouem genitorem, nempe Deum supremę classis, reliquorum Geniorum cœlestium regem: quia ad unum summum Deum auctorem meritò referri debent omnes bonæ scientiæ, cùm sit fons, & scaturigo inexhausta Diuinæ Sapientiæ; ex qua inuentio bonarum, & liberalium disciplinarum ad genus humanum demanat: Quarum cognitio ita rapit animos hominum, vt tradit Cicero s. de Finibus, vt mul. ti neq; valetudinis, neq; rei familiaris habeant rationem: omniaque perpeti ipsa cognitione, & scientia captos, & cum maximis curis,



## DEDICATORIA.

curis, & cum laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant voluptatem: Hāc discendi cupiditatem à Deo nostris animis insitam nemo dubitat. Nam cùm bonæ artes virtutum sint rudimenta & incunabula, studiisque ac literis res secundæ ornentur, & aduersæ adiuuentur, ideo idem Cicero non putat ullum fieri posse ciuem egregium, qui bonis disciplinis nō sit eruditus: Et vt idem addit: Præclarum mihi videtur adeptus is, qui qua re homines bestiis præstant, in ea re hominibus ipsis antecellant. Quòd si Deo bonorum omnium liberalissimo datore scientiarum, & literarum cognitio data non esset mortalibus, in miseranda cæcitate viueremus, Iura legesque iacerent, medicina morborum anxietatibus non succurreret, religionis doctrina in superstitiones, & fabulosas nugas degeneraret: deniq; præteritorum sæculorum memoria tenebrarum obscura caligine submersa occuleretur, ac parum à puerili stoliditate differremus: ingenuas didicisse fideliter artes emollit mores, nec finit esse rudes. Literæ posteritatis causa repertæ sunt, vt obliuioni subsidio esse possint: quia exempla omnia iacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet: ac prudentis animus ex præteritorum contemplatione consilia de præsentibus firmat, & de futuris indagatione, & solerti coniectura iudicat: Meritò igitur ingeniosi Poëtæ scientiarum omnium scaturiginem Deum summum faciunt, Musarum Parentem, quæ literarum cognitionem mortalibus impertunt.

De Musarum appellatioibus diuersæ traduntur causæ: Pie-  
rides dictæ sunt (vt paulo antea diximus) à Piera regione, in qua  
natae sunt: Ex qua se receperunt in Heliconem montem Boeotiae,  
propter loci amoenitatem, & ab eo nomē Heliconiadum adeptæ  
sunt: Vocatae sunt & Thespiales, à Thespis vrbe Boeotiae, finiti-  
ma Heliconi, & Grissæo sinui imminente, vt testis est Strabo lib.  
9. Musæ quoque Aonides vocatae sunt, ab Aonia regione; quæ  
fuit pars montana Boeotiae, vt scribit Stephanus. Cognominatae  
sunt & Libethrides, à Libethro monte Macedonia: vt ait Lyco-  
phron Poëta, vel Magnesiae secundum Melam: ad cuius radices  
fluit Pimpla fons limpidissimus, qui Diuis nomen Pimpleidum  
tribuit: Inter cætera loca Musis sacra, primus honos semper tri-  
butus est Parnasso monti Phocidis, Heliconi vicino & æmulo, à  
quo Parnassides dictæ sunt: ad cuius radices Delphi, vrbs tam de-  
cantata, & templū Apollinis oraculis celebre situm fuit: ad eundem  
Parnassum habitauerūt Hyantes populi, qui sunt Bocoti: Et  
ab his Hyantides Musæ cognominatae: Et Castalides à Parnassi



## E P I S T O L A

montis fonte Castalio, cuius aquæ Musis sacræ vim quandam diuinandi habere creditæ sunt: in eas enim conuersam Poëtæ scribunt Castaliam Nympham Acheloi filiam, cuius pudicitia dum infidias struxisset Apollo, ac virgo vim in sequentis euitare non posset, implorato Deorum auxilio in fontem fatidicum mutata est. Hippocrenides quoq; dictæ sunt Musæ, ab Hippocrene fonte amoenissimo Heliconis: quem ex percussione vngulæ Pegasi equi alati emanasse scribunt antiqui: ab eodē Pegaso Diuæ quoque Pegasides appellatæ sunt.

Pegasi bi-  
storia.

De hoc Pegaso talis vulgata est narratio. Cùm Perseus Iouis & Danaës Acriſij filiæ filius, talaribus, & ense falcato Mercurij, Palladisque scuto adiutus, iter in Africam suscepisset, vt Medusam Phorci & Cethus filiam de medio tolleret, quæ cum duabus sororibus Euryale & Sthenone Gorgonas insulas Oceanii Æthiopici incolebat, visu & aspectu noxio mortalibus infestissima, vt quemcunque intueretur, vel à quo cunque conspecta esset, eum subito in lapidem conuerteret: Et hanc sacrificam proprietatem Medusa acceperat ab irata Minerua, propterea quòd vim Neptuni in eius fano passa esset. Hanc igitur adortus Perseus, Palladis Ægidem opponens monstro, vt eius effigiem è lucido clypei repercussam sine noxa videre posset, stricto acinace sopitam oppressit, illique vno iectu caput amputauit. Ex interfictæ sanguine iugulis effluente natus est Pegasus, equus celer & generosus, hinnitu acuto latè omnia complens, ex cuius lateribus alæ statim emerserunt, & his fultus, tanquam firmo remigio, aërem mirabiliter tranabat agilitate. Tum Perseus voce blanda compellens equum nouum, illumq; manu demulcens, & iubas molliter contractans, cicurem & mansuetum reddidit, atque in eius tergum conscendit. Hoc vectus, & in altum eleuatus, Æthiopiam via celeri traiecit: Et Andromedam Cephei regis Æthiopum & Caspiopææ filiam monstro marino expositam, strictisque catenis scopulo alligatam liberauit, & cum ea in Seriphum insulam maris Ægæi felici reditu remeauit: vbi Acriſium auum incognitum disci iectu imprudens occidit. At Pegasus in Heliconem volauit, vbi vngula rupem feriens sitibundus, saxum aperuit, ex quo fons uberrimus & limpidissimus repente exsiliit. Hunc Musæ montis Deæ sibi sacrum esse voluerunt, & Hippocrenen, hoc est, equi fontem, vocauerunt. Pauloque post idem Pegasus alarum beneficio longè lateque per Græciam vagabundus volans, dum biberet



## DEDICATORIA.

biberet ex Pitene fonte Corinthio, Neptuni monitu captus est ab Hippomeno, siue Bellerophonte Glauci regis Ephiræ filio, Prætati regis Argiorum suasu expeditionem in Lyciam parante, ad superandam Chimæram monstrum flammiuomum; cuius caput & pectus erat leoninum, corpus caprinum, & cauda squamosi draconis, sinuosique serpentis horrenda. Hanc postquam Bellerophontes interemisset, & virtutis præmium Ariobantis, vel ut alij efferunt, Iobatis Lyciorum regis filiam sororem Sthenobœæ (quam Prætus vxorem duxerat) accepisset coniugem, rerum felici successu elatus, statuit Pegaso vectus in cœlum descendere, & cum superis gloriosus conuersari: Iupiter vero iuuenis temerariam audaciam non ferens, immisit œstrum, quo Pegasus acriter vexatus, huc & illuc contorquens latera sessorem excusit, illumque in Aleium Lyciæ campum præcipitem dedit, ubi ex casu, cruribus fractis, totoque corpore grauiter contuso, miserabiliter expirauit. Alij volunt ex hac ruina illum non fuisse mortuum, sed luxatis coxarum iuncturis, & fractis cruribus postea deformi claudicatione ambulasse, pœnasque superbiae dedisse contemptum suis popularibus, maximè vxori, & Sthenobœæ, quæ illum perditè oderat, propter denegatum concubitum, quem procaciter expetiuerat. At Pegasus iter cœptum prosequens, in cœlum peruenit, ubi à Ioue, superis annuentibus, inter sidera repositus est: ubi Arcticum circulum spectat, æstuio orbi pedibus innitens, & ceruice manum dextram Aquarij sustinens, Delphinumque ore extremo tangens. Hæc historia fabulosa sit licet, non desinit tamen aliiquid veritatis in se continere: quæ tamen ad Cadmum referenda est.

Iupiter Asterius Saturni Apteritæ Cretensium Regis filius, Historia Cadmi. in taurum mutatus rapuit Europam, & in Cretam ausportauit. Agenor Rex Phœnicum eius pater, filiæ raptu vehementi dolore perculsus, consilij incertus, cum filiis deliberauit, quid in hac re statuendum esset: Habebat enim filios Principes generosos, & qui iniuriam illatam familie ferebant ægerimè, Phœnicem, Labdacum, Cilicem, Polydorum & Cadmum; & filiam Taygetam Europæ sororem. Inter filios Cadmum iuNIorem natu elegit Agenor, cui negotium, datum est perquisendæ fororis terræ marique, ea conditione, vt non nisi ea inuenta ad patrem reuerteretur. Ille classe instructa, sociis nauigationis fidelibus acceptis Sidone soluens, omnes insulas maris Mediter-



## E P I S T O L A

Mediterranei lustrauit, & quotquot continentis littorales adiace-  
rent vrbes: sed postquam longa, diligentique indagatione loca  
infinita sine profectu petuiisset, neque Europam sororem vspiam  
inueniret, mandatorum Patris memor, in patriam cum non au-  
deret reuerti, in Græciam, post longos terra mariq; labores emen-  
sos, peruenit, Boeotiamque (quæ tunc Aonia dicebatur) occupa-  
uit, & Thebas non procul à monte Parnasso condidit, regionem  
verò à boue, quam Apollo illi ostenderat, Boeotiam vocauit; O-  
uid. 3. Meta. cumque loca omnia cum sociis diligenter perlustra-  
ret, & sylvas, montes, locorumq; situs curiose perquireret, equo  
vectus in Heliconem concendit, vbi fontem equi hinnitu, dum  
siti premeretur, primus inuenit, & ex eo cū sociis largiter, & sum-  
ma voluptate bibit: vnde fons ille Cabalinus, & Hippocrene, co-  
gnominatus est: Et hunc Cadmus Musis loci præsidibus conse-  
crauit. Musarum enim Numina deuotè semper coluerat, cum  
doctus esset, & scientiarum liberalium cognitionem ex Phœnicia  
in Græciam attulerat: Boeotosque literarum ignaros artem le-  
gendi, & scribendi docuerat. Afferunt enim antiqui scriptores o-  
mnes, Cadmum Græcis ostendisse sedecim has literas α, β, γ, δ, ε, ι, ο,  
λ, μ, ν, ο, ρ, σ, τ, & υ, quibus Palamedes Nauplij regis Euboëæ filius,  
belli Troiani tempore, quatuor adiunxit ξ, θ, φ, χ. Et Pythagoras Sa-  
mius Mnearchi filius addidit ζ, γ, ω. Non est igitur mirum si tanti  
beneficij auctorem Cadmum Græci Musis amicum censuerint,  
& à fonte Cabalino, ab eo primùm inuento, Hippocrenidas no-  
minari voluerint.

Musæ alia cognomina habuerunt à locis vbi colebantur, vel  
à Poëtis insignibus qui Priscorum monumentis decantati sunt,  
vt Sicelides à Theocrito Syracusano Praxagoræ, siue Symmacho  
& Philinæ filio, tempore Ptolomæi Lagi inter Siculos celebrissimo Poëta. Dictæ sunt quoq; Ascræ ab Hesiodo Ascræo: Et Co-  
lophoniæ ab Homero: Et Andinæ à Vergilio, qui Andibus Man-  
tuanorum vico natus erat. Et Ardalides ab Ardale Troezeniorū  
conditore, qui Musarum auditor, ab iis fistulam, & artem canen-  
di didicerat: ideo Deabus aram religione venerandam Troezenę  
statuerat, vbi illis sacra quotannis. Et Somno Musarū amico fie-  
bant: vt testatur Pausanias, & Cœlius Rhodiginus lib. 27. cap. 16.

Hæc sunt quæ obiter tractare visum est de Musarum paren-  
tibus, numero, & cognominibus: quæ lectu non iniucunda fo-  
re, & ad imaginum nostrarum illustrationem pertinere iudicauit:  
data opera multa omittens, quæ ad hoc argumentum spectant,  
sed



## DEDICATORIA.

sed ea ex auctoribus petenda sunt: nos hic breuitati in primis stu-  
demus.

M. Terentius Varro, qui Musas tantum tres facit, per Musas Quid per  
Musas in-  
tellen-  
dum. nihil aliud intelligi afferit, præterquam absolutam, & perfectam artem Musices: quæ consistit Harmonia, Numeris, & Verbo. Primamque Musarum ait nasci ex agitatione aëris, ex qua generantur soni. Secundam ex aquæ motu. Tertiam, quæ terrestris est, ex voce sola. Hoc modo Harmonia ad Aërem, Numerus siue Rhythmus ad mare refertur, quod suos non excedit limites à Deo conditore ordinatos, sed ad compositionem fluxus & refluxus alternatim, secundum Lunæ incrementum, vel defectum progreditur. Verbum vero, quod dicitur λόγος, ad terram refertur, quæ gravis est: Est & verbum, propter accentus versuum, lentum ac tardum.

Harmoniæ igitur proprij sunt soni: Numeris, siue Rhythmo, saltatio: Verbo autem carmina, & omnis ars Poëtica. Sed aliquando Harmonia cum Numeris miscetur, ut accidit in lyra, tibiis, & cornibus musicis. Nonunquam Harmonia, Numeri & Verbum simul coniuncta sunt, ut fit in Tragœdia, Comœdia, & Poëmate Dithyrambico, atque in tonis musicis, quos Græci vōues vocant: qui cantantur ad citharæ, testudinis, & lyræ harmoniam. Tunc in musica numeris omnibus absoluta, & perfecta censetur.

Hæc considerantur allegoricè in nouem Musis. Ex quibus Musarum  
proprie-  
tates. Vrania præsidet soli Harmoniæ. Hanc Poëtæ dicunt inuenisse, & docuisse omnem motum cœlestium orbium, qui admiranda, & ineffabili circunuoluuntur, & rotantur harmonia, ordine perfectissimo, & immutabili: Polyhymnia præfet Numeris, inuentrix Iphætorices, & Histrionicæ, quæ Numeris constant, compositis mensuratisq; gestibus. Calliope & Clio sub sua potestate habent verbum: Nam hæc Historiam & Diuinationem, illa versus Heroicos excogitasse traditur. Euterpe & Terpsichore præfident Harmoniæ, & Rhythmo: illa enim fistulâ septemplicem, hæc citharam inuenisse perhibetur. Melpomene, Thalia, & Erato Harmoniæ, Numeris & Verbo præsunt. Prima namq; Tragœdiam, Secunda Comœdiam, Tertia testudinem & barbiton dedit, quibus etiam adiunxit vocem.

De Musis in genere & speciatim plura leguntur in libro de Genealogia, & imaginibus Deorum, quem dedicaui illustrissimo Principi Ioanni Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariae & Biponti;

★★ qui



## E P I S T O L A

qui aheneis typis Norimbergæ sculptus, prælis Bipontinis excuditur.

*Apollo.* Apollinem & Mineruam Musis adiunxi, quod uterque disciplinis liberalibus, & scientiæ bonarum literarum præsideat: maximè Apollo, qui carminis, & musices inuentor semper iudicatus est, & ideo Poëtae omnes eius numen sibi præcipuis honoribus semper colendum elegerunt: Medicinæ usum primus ostendisse mortalibus, herbarumque potentiam creditus est, ideo diuinatatem meruisse. Marsyam Satyrum, vel tibicinem ex Celeni oppido Phrygiæ natum, à quo lacesitus fuerat tibiae cantu, victimum excorauit. Apollini triplex potestas tribuitur, ut Sol in cœlo dicitur, Liber Pater in terris, & Apollo apud inferos. Ideo simulacro illius tria adpingebantur, barbitus, clypeus, & sagittæ. Illi, quoque perpetua iuuentus adscribitur, facies læta, imberbes genæ à Poëtis finguntur. Nomius vocatus est ab Arcadibus, quibus leges & viuendi modum ad omnem virtutem accommodatum prescripsit: Et cum diuersis in mundi regionibus diuinis coleretur honoribus, à quibus diuersa sortitus est cognomina, ut Clarius, Delius, Patareus, Colophonius, Thermius, Verticallis, Parrhasius, Pythæus, Smyntheus, Agyæus, Alexicacus, Boidromius, Carneus, Compitalis, Epicurius, Ismenius, Diradiotes; Parcarum ductor, Musarum dux & præses, & alia plurima, de quibus multa Pausanias: inter cetera eius cognomina, Delphicus vocatus est, à Delphis oppido Boeotiae, ubi templum habuit responsis fatidicis, & oraculis diuinis toto orbe terrarum celebrimum, conditum sub radicibus montis Parnassi hiatu terræ, & rupibus impendentibus religioso metu, & numinis cultu celebre. de quibus omnibus Plinius diuersis in locis miranda tractat. quem lector, simul & Pausaniam, consulere poterit: ut discat Apollinis contentionem cum Hercule de sacro tripode, sacrificiis, templis, oraculis, specu, & aliis eiusmodi proprietatibus, quæ illi tribuuntur.

*Pallas.* Palladem quoque Musis comitem, ac sociam non sine ratione finixerunt antiqui, utpote quæ sapientiæ, & omnium, bonarum artium sit Dea, creditaque sit è cerebro Iouis nata, cum ex uxore Iunone prolem nondum suscepisset, & ea sine viri congesu Mulciberum concepisset: Iupiter vicissim sibi cerebrum percussit, ex eo ictu profiliit Pallas: hoc commento Poëtae significarunt, rerum & sciætiarum bonarum cognitionem humani non esse in-



## DEDICATORIA.

esse ingenij, sed prouenire ex diuina scaturigine sapientiae, ex qua mortales hauriunt quicquid perfectionis eorum animi capere possunt. Ea quoque panificij prima inuentrix, texturæ, aulæorum, & lini: ex quo pepla & telam confici posse ostendit. inuenit & artem exprimendi olei ex oliuis, non solùm ad deorum sacrificia, sed etiam ad usum domesticum. Dicitur & militarem artem docuisse, machinas bellicas ad deiiciendos muros excogitasse: rotas curribus adaptasse: cassidem, loricam, & hastam excogitasse: ideo Pallas ~~in~~ hoc est à vibrando dicta est, & Minerua à minando: Galeata, paludata, & hastata pingitur, tenens Aegidem scutum, quod à patre Ioue acceperat, tectum corio caprae Amaltheæ, à qua infans nutritus erat. Illi noctua additur, & non nunquam draco, vt iis signis denotetur, homines studiis deditos, siue militiae, siue bonarum disciplinarum, debere vigiles esse: Et in perquirendis scientiarum thesauris requiri solertiam, & assiduum laborem: ideo probè dictum est à Poëta: Non iacet in molli yeneranda scientia lecto: illa sed assiduo parta labore venit.

De Hercule potest alia redi ratio, qui non fuit usque adeo literis cultus, vt cum Musis & Apolline cōponi mereatur. Prisca tamen antiquitas Herculem <sup>Musaytlu</sup> coluit, & illi templa, aras, & sacrificia, diuinosque honores instituit: Habuit delubrum Romæ in Circo Maximo, vt tradit Liuius lib. 33. Et Plinius lib. 35. cap. 10. à M. Fulvio Nobiliore dicatum: in quod Musarum signa transtulit, ex Ambracia vrbe Thesprotiæ Epiri, quæ fuerat Pyrrhi regia: Et hoc templum vetustate collapsum restitutum fuisse à M. Philippo Augusti vitrico scribit Suetonius in vita Augusti. Historiæ tradunt, Herculem Lino Apollinis & Terpsichores filio in disciplinam fuisse traditum, vt à Praeceptore doctissimo instituere-  
tur cum Thamyra Thrace, & Orpheo Phœbi & Calliope filio: dumque rusticus caneret Hercules, nempe ad musicam ineptus, deridereturque à Magistro, ira percitus, citharam violenter in caput eius impegit, & eum peremit. Nihilo tamen minus Musis gratus, & amicus fuisse creditus est: tum quod illis amplam scribendi materiam præbuerit; tum quod sub protectione Dei fortissimi tranquilla degant quiete. Cui accedit, quod deuicto Acheloo in taurum mutato, cornu eius capiti auulsum detraxit, idque fructuum omnis generis abundantia plenum dono dedit Copiæ Deæ comiti Fortunæ. Sed postea dato cornu capellæ Amaltheæ, Achelous suum recepit: Et Hercules hoc capellæ cor-

★★ 2 nu flo-



## E P I S T O L A

nu floribus & fructibus repletum Musis sacrauit.

Bacchus.

Cur Bacchus Musis societur, aliam causam reddunt. Deus enim hic Parnassi bicipitis iugum sacrum habuit, quod Hyampæum vocabatur: in quo Bacchi ara fuit erecta, & ea montis pars vites habuit, quæ producebant vina generosissima. Aliud iugum Thithorea dictum Musis & Apollini sacrum fuit, in quo rupes maiestate Numinis, & situ horrendo spectantibus nescio quem Deorum metum, & venerandam religionem ferebat, cum ex ea parte vndique præceps esset, & ad scopulorum radices templum esset Apollini Delphico dicatum, hiatusque terræ profundus delubro vicinus; cui tripes aheneus sacer applicabatur: in eo Phœbas Dei sacerdos sedere erat solita, Deumque visceribus excipere: quo afflata, & entusiasmo correpta sciscitantibus oracula diuina carmine reddebat. Duo igitur hæc Parnassi cacumina, Musis & Baccho sacra fuerunt: ideo Bacchum Musarum comitem vocauerunt, quod eundem montem simul coleret, quodque lètitiæ dator esset, & libertatis assertor. Præcipui autem Poëtæ vino dediti fuisse perhibentur. Vini vinosus Homerus: Et Ennius ipse Pater nunquam nisi potus ad arma profiliit. Cornelius Gallus Licoridem suam nunquam doctius celebrauit, quām mero satur. Anacreon in vini laudes propensior, dulcedine tam suavis liquoris captus, molles & comptos versus modulatus est. Ita quoque de aliis Poëtis dicendum est, qui ex vini potu sacro quasi furore correpti, laudes Deorum suavius decantauerunt, maxime Bacchi Dithyrambi: à quo Poëtæ Dithyrambici nomen obtinuerunt; qui verbis compositis, nodosis, implicitis, tumentibusq; vtebantur, ad maiestatem Numinis cohonestandam. Et hi quoq; Amphiagnactes dicti sunt; quod eorum poëmata sæpius hoc Exordium haberent, *εποιησαντες*. Lege de iis Cœl. Rhod. lib. 7. cap. 5.

Hi sunt Dii Præsides Parnassi, Musarumque socij, & tutores: quorum Numine omnes Poëtæ tam Græci quām Latini, antiqui ac recentiores agi se volunt: vt inquit Ouidius. Est Deus in nobis, agitante calefcimus illo: nempe Musarum & Apollinis diuinitate afflatos hominum animos, poëtica vaticinia fundere, concinnata ad numeros, & ordine admirando composita. Sed vt fabulæ antiquæ explodantur, & relinquamus priscorum sæculorum nugas ridiculas, & absurdas opiniones de pluralitate deorum, inter quos totius mundi gubernationem, & imperium partiti sunt homines insani, & dæmonum præstigiis delusi idololatriæ, cer-



## DEDICATORIA.

træ, certum est Poëtices cognitionem esse Dei summi singulare beneficium. Neque si multa carminibus promulgata sunt amatoria, lasciuia, turpia, & adulatoria, id vitio Poëseos fieri dicendum est; sed Poëtarum socordia, impudentia, & lasciuia; qui sacrosanctam Poësim ad vnum Deum pertinentem (nam suas laudes carminibus, hymnis, & Psalmis decantari voluit) ad encomia hominum plerumque malorum, per assentationem transtulerunt; deinde ad impudicos amores, nugas ludicras, & libidinosos iocos imprudenter conuerterunt, vt Principibus vitiosis, & deprauatis mortalibus placerent, ostentationique suorum ingeniorum seruirent. Ita videmus nihil esse tam sanctum, tam laudabile, quod non possit in abusum conuerti, & temerari impudentia, & malitia profanorum hominum; cum tamen Poësis per se pia, sancta, & laudabilis existat.

Atque vt paruuſ hic tractatus illuſtrior, & auſtior reddatur, addidi Deorum imaginibus aliquot effigies Poëtarum Græcorum & Latinorum, qui in Poëtica celebres olim vixerunt, & quorum doctissima ſcripta ab antiquitate ad noſtra vſque tempora peruenierunt, ſingulari Reipublicæ literariae fructu, & utilitate. Homeruſ nempe, Hesiodi, Pindari, Sapphus, qui Græci fuerunt: Et totidem Latinorum imagines Vergilij, Horatij, Catulli, & Ouidij. Hos ex aliorum multorum numero ſelegi, quod ſummum locū inter primos Poëtas, doctorum omnium iudicio, occupare merito ſemper iudicati ſunt; propter ſingularem Philosophie cognitionem, ac rerum omnium exactam cyclopædiam, terſamq; elegantiam, & politam eloquentiam Græcæ Latinæque lingua, carminisque facilitatem. Quod si mihi vita prorogetur, alio libro eorumdem, aliorumque Poëtarum Philosophorumque icones, & vitam publicabo. De his omnibus, vt iudex rerum vſu peritissimus, & in omni eruditione probè versatus, Heros clariflme potes ſentētiā reddere, & iudicium ferre, an iſti mei labores in publicam lucem venire mereantur. Quod si conatus mei tibi probentur, ſtimulum mihi addes efficacem ad fuſcipiendum, quod mihi reſtat ex meis vigiliis & lucubrationibus, vt ſculpantur, ac prælis typographicis ſubiificantur. Hinc fit vt non ſolum ex officio tibi hoc opusculum cōſecratum velim, ſed quod eo dignum præter cæteros censeam, ac munuſculum hoc tibi non ingratum fore certò ſciam: cum circa cōmunia hæc ſtudia, quicquid temporis à ſeriorib. negotiis, & Reipublicæ occupationibus vacuum

★★ 3 relin-



## EPIST. DEDICAT.

relinquitur, id totum libentissimè meditatione literaria sedulus  
impendas. Cumque bonis disciplinis ab adolescentia impensis  
fueris institutus, nō desinis ætate matura, grauissimis curis in gu-  
bernatione publica, tum militiæ studiis, tum etiā literarum dulci  
meditatione alternatim delectari, iisque onera publicæ admini-  
strationis, & politicæ moderationis subleuare, & mitigare, vt  
“quod à Cicerone dictum est, in te verificetur. Studia adolescen-  
“tiā alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis  
“perfugium ac solatium præbent: delectant domi, non impediunt  
“foris; pernoctant, nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Deus  
optimus maximus longæuam tibi vitam largiatur, cum omni  
rerum secundarum optato euentu, honorum cumulatione, ani-  
mi corporisque perpetua sanitate: vt his literatis deliciis, diu frui  
liceat, eruditorumque familiaritatem, & amicitiam quam diutif-  
simè conseruare, & fouere possis. Vale.

IANI





IANI ATTINII VERINI  
IN EFFIGIES PARNASSI ET  
MVSARVM, à BOISSARDO  
DEPICTAS.

**D**E SERTAE aruerant Parnassi in vertice lauri;  
Nec norant Clarium Delphica fana deum.  
Castaliusq; latex contempto fonte fluebat,  
Numine fatidicos, destinante lacus.  
Exilium Musis iam dudum indixerat orta  
Barbaries studiis non bene fida bonis.  
Non tulit hæc animo Boissardus damna quieto:  
Nostram, inquit, clades tanta requirit opem.  
Protinus ille operi se accingit, & atria purgat  
Ruderibus, turpi & squalida teſqua ſitu.  
Auerruncatis rupes iam ſacra nitebat  
Sentibus; & circum florida flabat humus.  
Vndique Daphne & nemorosa cacumina frondes  
Complerant; & erat cultus honore locus.  
Mira loquor, ſed vera loquor; ſubito intremuit mons:  
Aonia chelyosque increpueſe fides.  
Et latè ambrosios aër ſpargebat odores,  
Teſtatus latas iam rediſſe Deas.  
Denique cum Musis aderat Pater almus, & vna  
Aurato fulgens docta Minerua ſinu.  
Et viſ Herculea adiutrix, & Praes Apollo  
Pimplea iungens verba canora lyra.  
Et iuga Hyampat generofis tecta racemis  
Vrgebant plenis feruida prælacadis.  
Ecce iterum redeunt Graij Latiique Poëta,  
Dantque instauratis thura Sabæa ſacris.

Sed

Conspic

Sed quid multa? typum Parnassi hac pagina totum  
Exprimit, & reduces in sua templa Deas.  
Hoc tibi Boissardi contingit munere Lector:  
Cuius nota sat est ingeniosa manus.

PROSPER VENTIDIUS VMBER,  
IN IANI IACOBI BOISSAR-  
DI EFFIGIEM.

Boissardi illius hic forma est, quem Sequana vatem,  
Galla suum, & patrini iactat ubique Dubis.  
Ille est artifici dextra qui antiqua notauit,  
Atque eadem luci qui monumenta dedit.  
Ille est qui Musis Parnassum, & Delphica Phœbo  
Delubra, & Pimplæ flumina restituit.  
Hic faciem cernis, gnauaque opera ardua dextra:  
Scripta animi dotes haud moritura docent.

GENEROSISSIMO CLARISSIMO-  
QUE HEROI, MARCO CLAUDIO  
à RYA, MARCHIONI OLIANIS,  
Præfecto Vesunctionis & Dolæ.

I. BOISSARDVS.

Stirpis præcipuum decus Ryane  
Marce, gloria prima Sequanorum,  
Qui priscos titulos tuorum auorum  
Preclaris radiis honoris aquas,  
Quem Libethrides, & proprium Apollo  
Prosequuntur amore, barbitique  
Fides Aonij, & lyram dedere:  
Boissardus tuus ille, qui institutor  
Ætate in tenera fuit, tuusque  
Præceptor, memor illius fauoris,  
Quo me prosequeris bonus, pusillo  
Hoc te munere donat: at nec illo

Condigno



*Condigno meritis tuis: Deorum est  
Tibi reddere congrua. Hoc lubenter  
Confert quod potis est; breues figuræ  
Nempe Pegasusum nouem Sororum;  
Quæ sunt Mnemosynæ Iouisque Natae.  
Illi præsidet artium magister  
Phœbus, & socia eloquens Minerua:  
Est Bacchus comes, Herculesque tutor:  
Hos docti venerantur: hos adorant,  
Omnes Castalij ordinis Poëta,  
Omnes Philosophi, atque literati.*

*Ifthac Numinæ nosti, amasque, & illis  
Jure diligeris. Mihi ergo culpa  
Non erit, vitoque, si merenti  
Parnassum tibi dedicamus istum,  
In quo Gorgonei est latex caballi,  
In quo sunt tripodes, sacraque lauri,  
In quo tanti habitant Dei Deaque.*

## CLARIS.



CLARISSIMO PRÆSTANTISSI-  
MO QVE VIRO, LUDOVICO MALAR-  
METO IVRISCONSVLTO, PATRICIO  
Vesuntino, IANVS IACOBVS BOISSARDVS.

*Clara Patricium Vesuntionis*

*Decus, gloria ciuium tuorum,*  
*Malarmete, Themis fidele fulcrum:*  
*Quem Libethrides, & proprium Apollo*  
*Prosequuntur amore, Barbitique*  
*Fides Aonij, & lyram dedere:*  
*Boissardus, tuus ille amicus olim,*  
*Ante lustra decem, intima & vetusta*  
*Nostra amicitia memor, pusillo*  
*Hoc te munere donat: at nec illo*  
*Condigno meritis tuis: (deorum est*  
*Illis reddere congrua.) Hoc Sodalis*  
*Confert quod potis est: breues figuræ*  
*Nempe Pegasidum nouem Sororum,*  
*Quæ sunt Mnemosynes Iouisque nata.*  
*Illis præsidet artium Magister*  
*Phœbus: Est socia eloquens Minerua:*  
*Est Bacchus comes, Herculesque tutor.*  
*Hos docti venerantur, hos adorant*  
*Omnes Castaliordinis Poëtae,*  
*Omnes Philosophi, atque literati.*  
*Isthae Numinæ nostri, amasque, & illis*  
*Jure diligenteris. Mihi ergo culpa*  
*Non erit, vitioque, si merenti*  
*Parnassum tibi dedicamus istum:*  
*In quo Gorgonei est latex caballi;*  
*In quo sunt Tripodes, sacraq; Lauri;*  
*In quo tanta habitant Dei Deaque.*

IN

IN EFFIGIEM IANI IACOBI  
BOISSARDI VESVNTINI,

Prosper Ventidius Umber.



BOISSARDI illius hic forma est, quem Sequa-  
na vatem  
GALLA suum, & patrius iactat ubique Du-  
bis.

Ille est artifici dextra qui antiqua notauit,  
Atq; eadem luci qui monumenta dedit.  
Hic faciem cernis, gnaueg opera ardua dextra:  
Scripta animi dotes hand moritura docent.

IN EDITIONE IUDIACO

BONNÆDI ALEXANTIN

ANNA VADIMUS NUNCIUS T



Fama utraque est querenda Minerva

1



Io Theodori fe.

Nomina doctorum scriptis quæsita virorum  
Fama dat æterna posteritate frui.



Iuppiter Deorum Rex &  
Musarum Pater.

2



B.f

Farne Panomphæo precibusque lñato Tonanti.  
Ille animi dotes auget & ingenij.

I.I.B.in



Mnemosyne Coeli & Terra filia  
Scientiarum inventrix: Et  
Musarum parens.

3



Io. Theod. de Bry fe.

Mnemosyne dico: peperi ter tria Sorores  
Numina, Pegasci culta per autra iugi.





B. F.

Monte sacro hoc resident Divæ Pimpleides : Illis  
Præsidet aurata magnus Apollo Chely.  
Cernuus hunc Venerare locum quinque Poëta  
Daphnaea redimi Vis tibi frunde caput.



Apollo Iovis & Latona filius:  
Musarum Praes.

5



Praefideo sacris Aganippidos Hippocrenes.  
Et Rhodos & Delos me colit atque Claros  
I. I. B. in R. B. fe



Pallas e cerebro Iouis nata.  
Bonarum artium inventrix.

6



Io Theo  
de brij fe

Sum Iovis altioni quondam Dea nata cerebro:  
Vnde omnis Sophiae fons & origo fluit.



Clio docet historias, & Heroum  
res gestas.

7



Heroum & regum grandi subuixa cothurno  
Castalia Clio publicat acta chely;



*Melpomene Tragoedias scribit.*



*Io: Théo: de bry fe*

*Sæva Thyestæe referens convicia mensæ  
Melpomenè Tragis personat acta modis.*



Terpsichore choreis et tripudis praefit.

9



Io: Theod: de Bry: fecit.

Terpsichore ad numeros agili pede flectitur: estque  
Ad citharam crispum docta mouere latus.



*Enterpe tibiarum invcntrix & mathematum.*

10



*Dulcisona Enterpe inodulatur arundine carmen,  
Aonice jungens Verba canora lyræ.*

methodus in grammam inservit ratio

*Erato lyram Excogitavit.  
Nuptialia et saltationes tractat*

11



*Io: Theo: de Bry: sc.*

*Plectro Erato fidibusque ignes decantat Amoris,  
Quaeque juvant Paphiam dulcia furtam Deum.*



*Calliope carminis Heroici conditrix*

12



*Prisca novis jungens Heroo sacula versu  
Audaci effertur Calliopea pede.*

*To: Thoro de Bry se*



*Polyhymnia sacris hymnis præsidet*

13



*Divorum Psalmis Polyhymnia cantat honores.  
Thuricremis ardent dū sacra liba foci.*



*Thalia Comoedias recitat*



*Plebeios mores recitat invenimusq; furores  
Comica lascivis lata Thalia choris.*





Arcanos coeli motus, fulgentiaq; astra  
Perspicina Vranie dexteritate notat.



Hercules Musagetes.  
Musarum Protector



Materiam sacris scribendi praebo Muis:  
Sub nostro quibus est numine parta quies.  
Io. Iac. boissardus inuenit. Robert boissard scalp

Herrn von Wittenberg  
Herrn von der Schulenburg



Wittenberg 1519  
Sic nos non debet nisi unum mundum nisi illud

Bacchus latitia dator,  
Musis amicus.

17



Sedem in Parnaso Musæ induisse Lyæo:  
Frigida nam condit carmina potor aquæ  
Io. Iac boissardus inuenit Robert boissard scalp

Baldur  
Hausen

1800

1800 Baldur Hausen

*Homerus. Graecorum Poetarum Princeps.* 18



*Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Ios, Argos, Athenæ  
Certatim civem me asseruere suum.*





Asera mihi patria est. Parnassi in vertice sennam  
Duxi ubi mi<sup>h</sup> Vinxit laurea. sacra caput.



Pindarus Daiphanti filius  
Thebanus.

20



R.B. sc. I. Iac. B. in

Isthmia descripsi, Nemea & Olympia Versu  
Et Pythia. Ad mortem masculus urfit amor



Sappho Scamandronimi filia  
Mitylenea.

21



Io: Tho: de brey: fe

Lesboæ releget qui mollia carmina Sapphus,  
Exclamat: Musis hæc quoque cura fuit.





Andino Vati primam concedite palmam,  
Troja Romana qui canit arma tuba.





*Pindarico intumuit quandam si Græcia plectro.  
Tu Latia fidicen, docte Poeta, Lyræ es.*



C. Valerius Catullus. Veronensis.

24



Vergilium merito collaudant moenia Mantū:  
Veronæ decus es, terfe Catulle, tuæ.



*Pub Ovidius Naso  
Pelignus*

25



*Io: Theo: de bry: sc:*

*Augusti imprudens et Mecenatis amores  
Deprendi hinc longum trudor in exilium.*











AB:170022



VD 17





2

